

Moyses, Exodi XXXIV. extra templum vidit Deum in transitu, et a tergo tantum Isaias contra capite I. suæ prophetiæ, in templo, clare, sedentem super solium suum. Tum quia in templo melius et attentius oratur, quam domi vel extra; et hoc ob multas causas, ut alibi dixi. Qui domi orat, quasi in turba et curarum compressione orat: qui in templo orat, quasi in arbore securum orat ac proinde attentius atque utilius.

Imo ausim dicere: Eos qui libenter et pia intentione frequentant templa, etiam cum non orant, quasi orantes audiri a Deo, siquidem Deus intuetur eorum cor, cum animo orandi eo accedere soleant, quomodo Anna in templo movens tantum labia, et vocem non efformans, exaudita est, I. Reg. I. Sic pauper præ foribus divitis expectans, ubi sæpe solet acquirere elemosynam, etiam si non oret, accipit.

IV. De sycomoro fructum pœnitentiæ legit sibi Zacchæus, quia ex Christi aspectu et notitia compunctus est, et remissionem peccatorum accepit. Similiter in templo pii frequentatores sæpe colligunt fructus pœnitentiæ ac primo cordis compunctionem et peccatorum remissionem. Hinc S. Chrysost. hom. LI. in Joan. comparat templum pharmacopolio, ubi omnis generis pharmaca asservantur et venalia proponuntur. Tale enim templum est, ubi contra peccata remedia præscribuntur et applicantur.

Ex illa officina odorem effers etiamsi nihil emas. Audi Chrysost. hom. cit. « Si unguentario quispiam aut unguentariæ tabernæ assideat, etiam invitus illum accipit odorem; longe magis, qui ecclesiam frequentat. » Ita ergo semper aliquid devotionis in templo colligis, quamvis æger animo non sis. Multa enim sunt in templo, quæ hominem ad pœnitentiam et pietatem excitare possunt.

Gerson, in serm. de vita cleric. ait: « Quid aliud videntur prædicare imagines omnes in ecclesia, ante, quaquaversum, supra, subtus et in lateribus, cantus insuper et pulsus, ea quoque, quæ leguntur et fiunt omnia, nisi ut levemus sursum corda et non mentiamur respondentes: Habemus ad Dominum? Levare autem sursum corda nequeunt sane ipsi peccatores sine pœnitentiâ, etc. »

Et paulo infra: « Cæterum crux et crucifixus nonne loquuntur, ut pœnitentiam agamus, cum talem ipsum Christum ante oculos statuamus, quo nullus unquam acerbius doluit, non pro suorum, sed pro nostrorum satisfactione peccatorum? Sanctorum rursus sanctarumque imagines idem suadent ingerentes memoriæ nostræ, quod per

multas tribulationes oportet nos intrare regnum Dei, ut ipsi. Denique, tumbarum sculptura magnis nos vocibus et lamentis ad pœnitentiam provocare non cessant, ingerentes quid illi sint, quid fuerint, quid de nobis meruerunt, quid exigunt etc. »

Exemplum habemus in Publicano, qui in templo orans justificatus est. Aliud refert Rufinus, l. III. in vitis patrum, num. CVII. de Sancto Paulo discipulo S. Antonii, qui cum prius quemdam ingredientem in ecclesiam vidisset nigrum et nebulosum a dæmonibus fræno in os misso trahi et regi; angelum vero ejus bonum a longesequentem tristem: postea egredientem vidit clara facie et candido corpore, ac dæmones a longe eum sequentes; sanctum vero angelum ejus prope eum, hilarem et gaudentem nimis. Quinetiam per ingressum templi et aquæ lustralis aspersionem peccata venialia dimitti, scribit S. Thomas, III. p. q. LXXXIII. art. Accedit indulgentia et remissio pœnarum et quidem in die dedicationis quadraginta dierum. Si tuis debitoribus remitteres quadraginta ducatos ea lege, ut certo die ad ædes tuas venirent: nemo illorum hoc beneficium negligeret. Modò id offert nobis Deus in diebus dedicationis. Olim certe pro hac indulgentia currebant homines ad aliquot milliaria: hodie currunt ad choreas, ad ludos, et epulas dedicationum tempore, non ad indulgentias. Unde si oderit eas Deus, non mirum juxta id Isa. I. Neomeniam, et sabbatum et festivitates alias non feram; iniqui sunt cælus vestri, lavamini, mundi estote.

V. Per sycomorum Zacchæus salutem consecutus est. Hanc consequuntur etiam qui libenter frequentant templa: videtur enim signum aliquod esse prædestinationis, libenter adire templa: quia cum ea representent nobis cælum, consequens videtur, ut qui cælum amat, templum amet et contra. Filius libenter est in domo patris. Unde Christus, Luc. II. ait: *Nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* q. d. non debebatis dubitare, mihi bene esse in domo Patris mei. Similiter concludo: Si tu Filius Dei es, libenter eris in domo ejus.

Exemplum de pastore quodam simplici in chron. Præmonstrat. legitur, qui audiens aliquando in concione, ad regnum cælorum recta eundem esse neque declinandum sive ad dexteram sive ad sinistram; recta sempervia pergens ivit, et venit ad templum quoddam Præmonstratensium, ubi candido omnes habitu videns monachos, putabat se jam invenisse regnum cælorum, et qui in eo candidi discurrebant, esse angelos.

Cæterum cum nullus alloqui eum vellet, imo tandem ad finem diei exire eum juberent, mirabatur quod angeli hoc ei præciperent, negavitque se exiturum, sibi hic bene esse assessens.

Cumque ibi pernoctasset, veri angeli ad eum venire, cibum afferentes. Quare ille magis confirmatus pertinacior ibi mansit. Tandem igitur monachi volentes investigare, quid noctu ageret et unde viveret, viderunt eum ab angelis pasci: unde mox eum in ordinem suum receperunt, paulo post sancte obiit. Itaque si hos fructus a sycomoro decerpere desideramus, præcurramus cum Zacchæo, et ascendamus in templum sedulo, et libenter.

CONCIO XII.

TEMPLI FABRICA, VASA ET ORNAMENTA QUID MYSTERII.

I. Quid templi fabrica? — II. Cur orientem versus? — III. Quid turris? — IV. Quid gallus supra templum? — V. Quid campana? — VI. Quid crux supra templum? — VII. Quid vestibulum templi? — VIII. Quid aqua lustralis ad ingressum? — IX. Quid gazophylacium? — X. Quid vexilla? — XI. Quid foramen in fornice? — XII. Quid suggestus? — XIII. Quid imago Crucifixi? — XIV. Quid sacrum? — XV. Quid lampas? — XVI. Quid altare? — XVII. Quid candelabra? — XVIII. Quid cymbala? — XIX. Quid thuribulum? — XX. Quid cereus paschalis.

THEMA.

Fili hominis comede volumen istud. Ezech. III.

Pueris, auditores, ut rerum nomina legere addiscant, traditur libellus, in quo nomina addiscenda per imagines explicantur, ut facilius discantur et memoria teneantur; unde fit ut nomina illa exactissime discant, et quodammodo devorent. Omnes nos in schola Christi sumus, et quæ ad fidem et salutem nostram spectant, discere debemus. Verum, quia multi illiterati sunt instar puerorum, idcirco tradit illis Ecclesiam libellum sacrum cæremoniarum, templorum, locorum aliarumque rerum, ut his quasi imaginibus ad doctrinam christianam addiscendam et retinendam commodius manuducantur.

Hujusmodi liber est in primis ædes sacra, in qua quot sacra vasa, tot imagines et figuræ sunt doctrinæ christianæ. De hoc igitur volumine dictum nobis existimemus, quod dixit Ezechielis Deus, Ezechielis III. *Fili hominis comede volumen istud*, id est, addisce accurate et memoria retine.

VI. PARS FESTIVALIS.

Comedit id propheta, et factum est in ore ejus dulce quasi mel.

Idem spero futurum, si volumen istud simili modo comederimus. Et sane turpe foret, si quis Christianus adeo rudis esset, ut hæc prima fidei elementa non intelligeret. Si enim turpe est opifici, si nesciat, quis sit usus instrumentorum suæ officinæ, quomodo non etiam turpe est Christiano, si nesciat quid sibi velint templi utensilia, quod velut officinam suam toties frequentat? Igitur audiamus rudimenta fidei.

I. Quid sibi vult hæc domus tam augusta et splendida, omnes totius urbis domos sublimitate, amplitudine et magnificentia enormiter excedens?

Respondetur primo, esse domum Dei, sicut enim decet principem domus longe augustior, quam sint domus cæteræ, ita et multo magis Deum: unde vacatur basilica, id est, regia; item templum, quasi tectum amplum.

Secundo, significare Ecclesiam Christi, id est, congregationem omnium fidelium. Hujus fundamentum Christus est, parietes sunt Ecclesiæ particulares, lapides sunt singuli fideles. Primo, quia ut lapides malleo percutiuntur et aptantur ædificio, ita in Ecclesia Christi fideles expoliuntur tusionibus, pressuris, vel cum catechizantur, baptizantur et formantur, ut vult S. Augustinus, serm. CCLVI. de templ. Secundo, sicut lapides per calcem et sabulum sibi firmissime connectuntur; ita fideles omnes glutine unius fidei et charitatis: unde S. Augustinus loco cit. ait: « Verumtamen domum Domini non faciunt, nisi quando charitate compaginantur. » Tertio, ut fidelis fidelem portet, quemadmodum lapis unus lapides alios: unde S. Gregor. hom. XIII. in Ezech. ait: *In Ecclesia unusquisque et portat alterum et portatur ab altero.* Fenestræ fidem denotant, tectum spem. Quarto, sicut lapis unus positus in sublimi vel altari alterum in viliori loco positum non despicit, nec illi iste invidet, ita in Ecclesia non despicit superior inferiorem; nec iste illi honorem invidet.

II. Cur versus orientem extracta? Respondetur primo, quia oriens pars cæli nobilissima est, inde enim et ad nos surgit motus cæli, et affert nobis solem jucundissimum. Unde admonemur primo, salutare precibus Deum cum sole oriente, et ut Sapiens ait, Sap. XVI. *Adorare ad ortum lucis*, adeoque negotia nostra cum Deo inchoare. Ferunt a perdicibus nidos ita construi duplici ostiolo, uno versus orientem, altero versus occidentem tendente, ut sic a sole tam matutino quam vespertino nidum perlustrante, et ad campum educantur, et ad cubile reducantur. Monet

ergo situs templi salutare Deum precibus vespere et mane. Secundo, cum sole exurgente surgere et vitiorum tenebris ad lucem gratiæ, juxta id apostoli: *Hora est jam nos de lecto surgere, etc.* Tertio, in omni actione nostra faciem ad Deum convertere, ad instar heliotropii vertentis se ad solem.

Respondetur secundo, quia ad orientem situs est paradisi, Genes. IV. Monet ergo templi situs, nos esse peregrinos et tendere ad patriam, ex qua ejecti sumus, ut explicat Gregorius Nyssen. lib. II. de orat.

Respond tertio, quia facie occidentem versus Christus crucifixus est et ascendit in cælum, ut indicant vestigia. Ergo ut orantes faciem Christi intueamur, convertimus nos et locum orationis ad orientem.

Denique, quia versus orientem sita est terra sancta, in qua vixit et mortuus est pro humano genere Christus. Itaque juxta Psal. CXXXI. *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Prædixit autem Zacharias, cap. XIV. *In oriente pedes Domini stabunt.*

III. Quid sibi vult turris ad templum erecta? Respondetur primo, denotare sacram Scripturam, quæ est Ecclesiæ turris, tum quia ad eam veluti ad turrim in nostris tentationibus et periculis confugere debemus, tum quia ex ea veluti ex turri conspexere veteres patres longinqua, et quæ multis retro sæculis erant futura, et nos inde prospicimus peccatorum pericula et pœnas ea consequentes, remedia peccatorum, et quæ in altero sæculo expectamus. Porro in hac turri velut in illa Babylonica hæretici seipsos non intelligunt.

Secundo respondetur denotare prælatum Ecclesiæ, pastorem et prædicatorem, qui ut vita longe debet esse eminentior quam populus, ita etiam refugium et præsidium ejusdem. Compri-mis vero denotat sedem apostolicam, quæ Ecclesiæ Christi tuetur, et prævidet omnes hæreses atque debellat; ad quam etiam tuto nos recipimus tempore persecutionis, et in dubiis fidei. Ibi vigilat excubat summus pontifex, qui omnes errorum scopulos prospicit.

IV. Quid gallus supra turrim significat? Respond. primo, Christum significat vocantem nos ad suam Ecclesiam et ad pœnitentiam, quo modo Petrum negantem galli voce vocavit: unde canit Ecclesia: *Gallus jacentes excitat, et somnolentos increpat, gallus negantes arguit*: et Christus comparat se gallinæ convocanti pullos suos sub alas.

Secundo, significat concionatoris et pastoris officium, uti nimirum suo cantu dormientibus in

peccatis obstrepat eosque ad pœnitentiam excitet. Et quemadmodum gallus ille ventis sese opponit, ita prædicato opponit se obrectatoribus et morum corruptoribus. Denique, sicut gallus antequam canat, seipsum alis verberat: ita et prædicator alios ducturus et ad virtutem excitaturus, seipsum prius excitet, corrigat ac stimulet.

V. Quid campanæ in turri? Respondetur, primo, sonum evangelii significant, de quo dicitur: *In omnem terram exivit sonus eorum*: ergo campanæ velut evangelistæ annuntiant nobis evangelium, et quid Deus requirat a nobis veluti cum per eas vocat nos ad orationem, missam, concionem, speliendos proximos, etc. Summus sacerdos veteris legis parvula gestabat cymbala in podere, quia sonus legis veteris exiit tantum ad vicina loca.

Secundo, denotant novissimam tubam, quæ de cælo resonabit et terribili clangore aures nostras feriet: *Surgite mortui, etc.* Has ergo quoties audimus, cogitare cum Hieronymo deberemus novissimam illam tubam.

VI. Quid supra templum crux? Respondetur primo, ostendit domum illam Christo esse sacram, cujus sigillum gerit, ad arcendas aereas potestates, et alias quascumque loci profanationes: unde videtur ea crux dicere Christi nomine: *Domus mea, domus orationis est.*

Secundo, ostendit hoc signum crucis fore cernendum in cælo, id est, sublimes aere, cum Dominus ad judicandum venerit.

VII. Quid indicat templi vestibulum, seu porticus ante ingressum? Quid navis, seu templum? Quid chorum, seu sanctuarium? Respondetur primo, vestibulum esse locum eorum, qui ad Ecclesiam recipi volunt, uti cathæcumenorum et pœnitentium; navem locum plebis christianæ; chororum locum clericorum. Hos enim tres ordines dividi voluit antiquitas.

Respondetur secundo, vestibulum significare incipientes, navem proficientes, chororum perfectos; tres fidelium gradus.

VIII. Quid vult aqua lustralis ad templi aditum? Respondetur primo, monet ut ad templum et orationem ingrediamur cum debita animi puritate, ut sic audiri mereamur, et per ejus aspersionem armemur contra dæmonis tentationes, et mentis evagationes, in exeundo vero contra instantia peccandi pericula.

Secundo, reficit nobis in memoriam baptismum, per cujus lavaerum olim in Ecclesiam ingressi sumus; ut ita quoties templum ingredimur, votum in baptismo emissum renovemus. Ideo recte ad introitum templi statuitur, quia per baptismum ingredimur Ecclesiam.

IX. Quid gazophylacium seu capsula pecuniarum? Respondetur primo, significare depositoryum cœlestem, in quo securissime tibi asservatur, quicquid ibi reposueris honorum operum.

Secundo, significare sinum pauperum, in quo tuto etiam servatur tibi, quicquid in eum conjeceris: multis seris et repagulis custoditur hoc depositum. Quanto melius et securius asseverasset epulo opes suas, si eas non in epulas et vestitum byssinum impendisset, sed in sinum Lazari jacentis ante fores deposuisset? Gazophylacium hoc plerumque ad fores ecclesiæ ponitur, quia et ibidem pauperes excubant.

Tertio, traditionem patrum et memorias sanctorum. Illa enim retinet et conservat dogmata non scripta, hæ vero rerum cœlestium veluti vitæ et passionis Christi thesauros.

X. Quid vexilla? Respondetur primo, denotare Christi victoriam, quam reportavit de mundo, morte et inferno. Qui enim debellavit et occupavit urbem, figit et erigit in ea vexillum suum: crux in ejus apice ostendit victoriam per crucem a Christo esse partam.

Secundo, signum Christianorum bellicum, sub quo militare se profitentur et pergere ad terram promissionis obtinendam, quomodo Hebræi cum vexillis suis processerunt per desertum in Palæstinam, Num. II.

XI. Quid sibi vult foramen in medio fornicis superne apertum? Respondetur primo, representare viam Christi ascendentis in cælum. Nam teste Sancto Hieronymo, de loc. Hebr. ex Actis apostolorum, cum in loco ascensionis Christi, circa ejusdem vestigia impressa templum extrueretur, locus desuper imminens vestigiis non potuit claudi aut concamerari: sed mansit apertus semper quo nimirum sciremus cælum per Christi ascensionem nobis apertum esse viamque patefactam et patentem semper.

Secundo, respondetur, indicare viam cœli arcuatam et portam ejus angustam.

XII. Quid cathedra seu suggestus? Respondetur, verbum Dei designat, cui insistens et quasi inclusus concionator ex ea velut ex oraculo depromit Dei responsa, juxta Ecclesiæ interpretationem; non sua figmenta. Operculum suggestus obscuritatem Scripturæ notat. Ascenditur ad eum per gradus, quia non est omnium Scripturas intelligere et exponere, sed ascendendum ad hoc per gradus, veluti per lectionem assiduam, per humilitatem, per animi puritatem, per orationem, per vitæ sanctitatem. Nunc chororum ingrediamur, et quaeritur hic.

XIII. Quid sibi vult imago Crucifixi in adyto chori posita? Respondetur, designare portam et

clavem cœli, per quam solam patefacta est, et patet nobis via ad ingressum sancti sanctorum seu cœli. Media est inter chorum et navem, quia Christus per crucem mediator noster inter cælum et terram, inter nos et Deum. Et quod est malus in navi, hoc est crux in templo. Unde Ambr. serm. LVI. ait: Sic Ecclesia sine cruce stare non potest, ut sine arbore navis infirma est, apud Gretser. de cruce, tom. I. lib. II. cap. X. Sine malo non perveniret navis ad portum, sed hæret semper in salo, ita nec Ecclesia sine cruce ad patriam cœlestem. Denique, hic est noster serpens Mosaicus, cujus aspectus sanat omnes vitiorum morsus. Morsus es a superbia? Aspice hunc serpentem in cruce despectum. Ab avaritia? Aspice nudum. A luxuria? Aspice orientem et doloribus plenum. Ab invidia? Aspice largientem latroni paradisi. Ab ira? Aspice ignoscentem et pro inimicis orantem. Ab acedia? Aspice orantem et clamantem usque ad ultimum spiritum.

XIV. Quid sacrarium? Respondetur, typum esse Deiparæ, quod sicut in sacrario se induit sacerdos vestibus sacris et procedit inde in publicum; ita Christus in utero Mariæ vestivit se carne humana sacrata, et inde prodiit in mundum: unde merito vocatur sacrarium Spiritus sancti, ab Hieron. I. contra Helvid. Cypriano, serm. de nativ. Christi; Bernardo, serm. IV. de assumpt.

XV. Quid lampas seu lucerna ante altare et tabernaculum? Respond. Joannem Baptistam videre te existima, quia Domino teste, Domino erat lucerna lucens et ardens, et prævit ante ipsum in Spiritu et virtute Eliæ sicut lucifer solem; nec non digito demonstravit Christum: Ecce agnus Dei, etc. sicut et hæc lampas ostendit nobis Christum stantem in tabernaculo vel altari: unde D. Cyrillus putat eundem adumbratum per candelabrum aureum, quod lucebat ante arcam testamenti et Sancta sanctorum. Exod. XXV.

XVI. Quid altare denotat? Respondetur primo, Christum, quia uti altare est lapideum, inunctum, summo loco positum, et thesauri reliquiarum, ita Christus est petra, I. Corinth. X. inunctus Spiritu sancto, Psal. XLIV. caput totius Ecclesiæ, Coloss. I. et in ipso abscondita est vita et gloria sanctorum, Coloss. III.

Secundo, dum in eo sacrificatur, significat crucem, in qua Christus immolatus est: unde ab initio lignea erant altaria. Quatuor habet cornua uti et crux.

XVII. Quid candelabra duo super altare? Respondetur primo, fidem et doctrinam Christi toti mundo præluentem eumque illuminantem et dirigentem in omnibus operibus suis denotant.

Secundo, doctores Ecclesiae, qui in altari dignitatum positi sunt, ut alios illuminent: item legem et prophetas qui Christum prænuntiabant.

XVIII. Quid cymbala seu tintinnabula? Respondetur primo, linguas apostolorum notant, quarum sonus evangelicus exivit in omnem terram, et Christum annuntiavit per universum orbem.

Secundo, voces elementorum et cæli, quæ suo modo clamant tempore passionis, quando terra mota, petra scissa, monumenta aperta et sol obscuratus fuit?

XIX. Quid thuribulum? Respondetur primo, odorem bonæ famæ sanctitatis et justitiæ quem sparsit undique evangelium Christi.

Secundo, bonæ Christianorum et maxime prælatorum famæ fragrantiam, quæ afficere circumstantes debent, juxta id apostoli, II. Corinth. II. Christibonus odor sumus.

XX. Quid cereus paschalis? Respondetur Christum resuscitatum. Nam cereus ille post extincta omnia lumina de benedicto lumine accenditur, et quinque habet foramina, quæ replentur quinque granis thuris, denique extinguitur in die ascensionis post evangelium: ita Christus post mortem resuscitatus est cum carne gloriosa et quinque vulnerum cicatricibus, quæ tamen non jam confusionis, sed gloriæ typi erant. Denique, extinctus cereus manet adhuc suo loco; ita licet Christus quoad visibilem speciem abscesserit a nobis in ascensione, mansit tamen semper nobiscum per paternam sollicitudinem et realem in eucharistia præsentiam. Item sicut e cereo illo accenso accenduntur omnes alii minores cerei et lampades, ita a Christi meritis omnia nostra opera bona meritum et valorem suum accipiunt.

Hoc igitur, auditores, hoc in libro legite, et velut apes de flore in florem hoc in loco circumvolvite, indeque favum mellis, id est, devotæ contemplationis conficite, quæ utique in ore vestro fiet dulce quasi mel.

CONCIO XIII.

AMULETA SACRA AB ECCLESIA BENEDICTA AD QUID?

I. Aqua lustralis, ejus significatio. — II. Sal, ejus significatio. — III. Cereus paschalis. — IV. Rosa aurea. — V. Campanæ significatio. — VI. Panis, Agnus paschalis. vinum S. Joannis, significatio. — VII. Cineres. — VIII. Agnus Dei, significatio. — IX. Palmæ significatio. — X. Zona.

THEMA.

Vidi civitatem s. Jerusalem novam descendentem de cælo, a Deo paratam, sicut sponsam ornatum viro suo. Apocal. XXI.

Gen. XXIV. legimus servum Abrahamæ, Eliezer, missum ad quærendam sponsam Isaaco, cum Rebeccam obviam habuisset, indeque jam divinasset fore hanc sponsam domini sui, protulit inaures et armillas, et paulo post vasa aurea et argentea, quibus eam utpote sponsam domini sui, partim ornaret, partim dotaret. Anima fidelis cujuscumque sponsa Christi est, cui desponsa in baptismo, copulanda seu unienda complexu amoris intimi erit in gloria. Interim vero Christus non intermittit sponsas suas ornare, et armare et ditare sacris quibusdam cimeliis, monilibus et periaptis, quibus ipsæ se partim admone re officii sui et fidei Christo datæ, partim munire contra hostes suos, partim etiam adornare possint. Sunt autem hæc, variæ res benedicti solitæ, aqua, sal, agnus Dei, panis, cerei, palmæ, cineres et similia: quæ per servum suum summum pontificem ejusque cooperatores nobis Christus benedicit et transmittit, ut hic interim nos solari, munire et ornare possimus, donec ad cælestes nuptias cum eo celebrandas adducamur cum Rebecca. Hæc igitur est sponsa illa parata et ornata, quam vidit Joannes, Apocal. XXI. ut in hodierna epistola lectum fuit, cujus monilia nunc contemplabimur.

I. Monile ad frontem pertinens est aqua lustralis quæ singulis dominicis diebus solet benedicti et fidelium frontibus aspergi, in memoriam baptismi ab eis suscepti. Quia enim in baptismo Deo et Ecclesie magna quædam et semper reminiscenda promissimus per paternos nostros, ipse vero baptismus, ut memoriam nobis refricet, iterari nequit, idcirco ejus loco aspergimur aqua benedicta omnes quotquot in ecclesia sumus ut meminimus, quo lavacro abluti simus, cui fidem dederimus, quid sponderimus in baptismo. Et propterea vas aquæ benedictæ reponi solet ad ostium ecclesie, ut ingredientibus ea se as-

pergant, interimque recordentur se per baptismum, velut per ostium ingressos esse in Ecclesiam.

Afert præterea hominibus auxilia multa tam corporalia, quam spiritualia. Spiritualia, quia peccata venialia delet, cum sit publica fidei ac proinde etiam intentionis fugiendi peccata protestatio. Deinde, juvat ad eliminanda phantasmata et mentis evagationes; quam ob causam etiam ad fores ecclesie, quemadmodum lavatorium, Exod. XXX. collocatur ut qui ingrediuntur oraturi ea sese muniant. Ad hæc dæmones fugat eorumque præstigias. S. Marcellus Apameæ episcopus dæmonem impediens demolitionem templi Jovis Apameni, aqua benedicta fugavit templumque dejecit, ut refert Theodoretus, lib. V. cap. XXI. Josephus comes ex Judæo Christianus cum instaurare vellet Hadriani templum in honorem Christi, egeretque calce et fornaces fieri jussisset, callidi Judæi præstigiis ignem ligare, et dispergere aggressi sunt. At Josephus singulas fornaces aqua benedicta aspersit, subitoque præter opinionem omnium dissoluta sunt incantamenta, ignisque emersit turbis clamantibus: Unus Deus, qui auxiliatur Christianis. Refert. S. Epiphanius lib. I. tom. II. in hæc. Epion Mulier quæ videbatur in equam versa, vi aquæ benedictæ in formam pristinam restituta est, Palladius in histor. Lausi. in vita S. Macarii. Corporalia, quæ contigerunt, plura sunt, quam ut enumerari possint. Visa est aqua benedicta sterilitatem repellere hominum, pecorum, terræ. Ea locustas a frugibus depulit, Stephanus papa VI. anno 885. apud Baron. ibid. Ejus beneficio fecunditas colata feminis, apud Vinc. Belluac. Valuit contra morbos et auras pestilentes. S. Malachias haustu aquæ benedictæ phreneticum sanavit, teste S. Bern. in ejus vita: S. Fortunatus eadem coxam afflictam sanavit, apud Gregor. lib. I. dial. cap. X. S. Chrysostomus ea febres et dysenterias depulit, apud Greg. Alexandrin. episcopum, in ejus vita: eadem convaluit nobilis femina apud Bedam, l. V. hist. IV. Valuit contra fulgura et aeris tempestatem anno 944. In Transrhenanis Germaniæ partibus ignei globi per aerem discurrentes lustrali aqua pulsati, apud Frodoard. eod. anno. Subministravit nobis hoc monile S. Matthæus, ut refert S. Clemens papa, l. VIII. constit. apost. XXXV qui etiam formam ejus conficiendæ præscripsit. Ejusdem meminit Alexander papa I. sextus a Petro, ep. I. circa annum Christi 83. de consecr. d. III. c. Aquam; Basil. l. de Spir. s. c. XXVII.

II. Linguae debitum est sal, qui ideo benedicitur, et aquæ benedictæ miscetur ac sumitur a

fidelibus, ut sit memoriale deitatis Christi in humanam naturam demissæ; deinde, ut moneat salem sapientiæ et discretionis admiscendum esse nostris operibus et sermonibus; denique, ut meminimus nos iniquitatum nostrarum fœtoribus quos in baptismo deposuimus, deinceps tota vita carere debere.

Nec minora ejus auxilia. Femina dæmonis malignitate contracta sale benedicto curata est, apud ven. Bedam, lib. III. in Luc. c. VIII. S. Lioba abbatissa incendium eo restrinxit, apud Sur. tom. V. S. Barthenius episcopus vineam sterilem, et a vermibus exesam atque exsiccata sale benedicto injecto fertilem reddidit, tom. I. Surii: S. Bernardus luum pecorum eodem avertit, lib. IV. vitæ, cap. IV. constituit salem benedicti Alexander I. papa, ep. I. haud dubie ex recepta jam consuetudine.

III. Oculis propositum cereus est, tum paschalis, qui in sabbato s. tum vulgaris, qui in festo purificationis benedicti solitus. Ille gloriam resurrectionis representat, adeoque Christum ipsum resuscitatum, quinque vulnerum cicatricibus (quibus totidem grana thuris, id est, ferventem meditationem et orationem infigimus) insignem: iste vere eundem Christum, prout erat lumen gentium; necnon Deiparam Virginem, denique Christianum fide viva lucentem et charitate præditum, quemadmodum alibi vidimus. Eodem pertinet ignis sabbato sancto extra ecclesiam benedicti solitus, et silice excusus, a quo omnia alia luminaria accenduntur; designat enim is merita Christi extra urbem passi, ab eoque velut e petra malleis tortorum excussa, a quibus omnia nostra opera meritum et valorem suum mutuunt ac desumunt. Cerei S. Blasii inde benedicti cœperunt, quod sanctus, ille martyr in carcere vinctus et a vidua cereis accensis, fructibus et leguminibus donatus, promissit benedictionem iis, a quibus deinceps simili modo coleretur, apud Sur.

IV. Naribus conveniens est rosa aurea in domo lætare a pontifice benedicti consueta, quæ, ut exponit Alexander papa III. in epist. ad Francorum regem, Christum ipsum significat, qui est flos campi. Rubor floris passionem ejus notat; odor vero resurrectionis gloriam præfiguratur. Triplex ejus materia, aurum, muscus, balsamum, tres in Christo substantias, divinitatem, corpus et animam significat. Referri huc possunt herbæ odoriferæ in festo Deiparæ assumptæ benedicti solitæ, quæ nil aliud quam virtutes Deiparæ toto orbe suum spargentes odorem videntur indicare.

Effectum precatur illis Ecclesia, ut ab omnibus

hominibus pecoribusque quibus fuerint adhibita omnem putredinem, omnem morbum, pestilentiam ac dolorem aliasque infestationes depellant. Bene autem sperare possumus (tametsi non omnino certi sumus) Ecclesiae preces in his et similibus a Christo exaudiendas esse, nisi obstet major utilitas vel peccatum utentium, etc.

V. Auribus appensum campanae sunt quae et ipsae benedicuntur, quia ad munus spirituale applicantur, ad convocandum scilicet in ecclesiam populum, ad stas officiorum et orationum horas indicandas, ad funera cum planctu deducenda, etc. Significant autem sonum tubae evangelicae, per apostolos in omnem terram exaudita; verbum item praedicationis ab omnibus Christicolis audiendum: unde in earum benedictione precatur Ecclesia: *Ut quicumque ad sonitum ejus convenerint, ab omnibus inimici tentationibus liberi semper fidei catholicae documenta sectentur.*

Auxilium subministrant ad repellendas noxias tempestates, maxime quae per maleficium excitantur: uti testantur sagae earumque examinatio Grillandus, anno 1524. cui illarum una fassa est, se ad pulsum angelicae salutationis, dum a conventiculo nocturno reportaretur, a daemone perterritus depositam et relictam esse ad ripam juxta spineta, Binsfeld. de confess. malef. Deinde, ad devotionem in populo excitandam, diebus praesertim festivis, et in exequiis, uti precatur Ecclesia in earum benedictione: *Ut cum filii Christianorum clangorem campanae audierint, crescat in eis devotionis augmentum.*

VI. Ori competens, est panis, agnus paschalis, vinum S. Joannis, de quo alibi diximus, panis benedictus, Graecis eulogia dictus, a fidelibus sumebatur et pro munere mittebatur in signum unitatis et unanimatis christianae, ut patet ex epistola S. Paulini ad S. Augustinum, ut et ex alia ad Alypium. Erat autem typus s. eucharistiae, quae cum non semper digne percipi posset a fidelibus, memorialis saltem ejus eulogia sumebatur. Agnus paschalis in memoriam Christi innocentissimi agni pro nobis in paschate occisi benedicitur et sumitur.

Porro per eulogias mira saepe patrata sunt. S. Germanus feminam morti proximam earum liberatione sanitati mox restituit, apud Fortunatum, in ejus vita, to. III. Surii: S. Pacomius iis daemone expulit, ut in eodem tomo Surii: alii ex infirmitatibus convalere, plures beneficio illius panis, uti Dani a torminibus et capitis cruciatu per Elphegum Cantuariensem archiepiscopum, apud Osbertum, in ejus vita, tom. II. Surii. pistior quidam in vita S. Austregisili, tom. III. Surii, etc.

VII. Vertici decretum, sunt cineres benedicti ad initium quadragesimae. Sunt autem mortis et poenitentiae symbola. Mortis, quia in cinerem redigendi omnes: poenitentiae, quia veteres patres poenitentiam agere soliti in cinere et cilicio. Suscipimus illos in capite, ut moneamur a capite quadragesimae inchoare poenitentiam.

VIII. Pectoris monile sunt, quos vocamus agnos Dei, qui a pontifice tantum initio pontificatus ejus et deinde quolibet septennio benedicuntur sabbato in albis. Typi sunt veri Agni Dei, qui tollit peccata mundi: monent praeterea nos ut et ipsi agni simus, puritate et mansuetudine, quemadmodum agni de cera virgine candidissima confecti sunt.

Effectus indicat Urbanus V. papa, in ep. ad Joannem imp. Constantinop. Primus, est fulmina depellere: secundus, remissionem peccatorum adjuvare et venialia delere: tertius, parturientes feminas ad sui proles conservationem solari: quartus, incendia restinguere: quintus, a naufragio et aquarum periculis liberare: sextus, a subitanea morte praeservare: septimus, ab insidiis diaboli id est, conjurationibus, incantationibus et veneficiis, quae per federatos sibi exercet daemones, praeservare. Tertio, est experientia, talia praesidia per agnos Dei saepius obtenta fuisse: quod imprimis in historiis Indicis legere est. Scribit Antonius Gallutius, lib. VI. de vita Pii V. jussisse Pium pontificem, ut tumescentem in Tiberim ex alveoque summo populi Romani cum terrore parique periculo defluentem unum cereum ejusmodi orbiculum seu agnum Dei jactaret, quo facto confestim aqua impetus resedit. Idem auctor, l. II. scribit: Non ex loco mittendum, quod in hoc bello Belgico sub Albano duce magna omnium admiratione, atque utinam pari haereticorum ad rectam fidem conversione, divinitus accidisse, graves auctores memoriae mandarunt. Hispanum militem catholicum inter alios, quos peremerunt, ab Auranio captum, arborique alligatum impii milites haereticorum tormentorum ictibus occidere conati, tantum abfuit, ut illum confoderent, ut ne creberrimis quidem, ac vehementissimis ignitis globis in eum emissis, vel minimum laedere potuerint. Quo viso obstupefacti eum vestibus exuere coeperunt, rati hominem occultis quibusdam armis communitum, quae tormentorum vis penetrare non posset. Sed cum nihil in eo praesidii reperissent, praeter sacrum agnum e collo pendente ex iis, ut conjectura est, quos Pius V. primo sui pontificatus anno de more consecraverat (eorum namque magnum numerum in Hispaniam, Galliam, et Belgium, praesertim militibus pro fide catholica di-

micantibus distribuendos curaverat) hoc illi detracto, primo ictu transverberatus occubuit.

IX. Manuum quasi armilla, est palmae ramus, in die palmarum benedici et manu gestari solitus. Significat is victoriam Christi de mundo, peccato, diabolo reportatam: necnon eam quam et nos de iisdem reportare hostibus debemus. Admonemur ergo ramo seu potius folio palmae (quod gladii similitudinem refert) militiae cui nos adstrinximus, et roboris quod ad bellandum in s. confirmatione accepimus; ut nimirum gladium, quo vicit Christus, ipsi arripiamus vibremusque in hostes nostros: « Ut quemadmodum, inquit, Dorotheus abbas, doct. XV. hac de re loquens ille pro nobis pugnavit et vicit; ita et nos per ipsum victores esse possimus, portemusque pendencia collo (palmas scilicet et ramos olivarum) non solum ob victoriam, qua ille pro nobis vicit, sed etiam ob eam, qua et nos per ipsum vicimus. » Denique, ut viventibus honorum et operum ramis, una cum Hebraeis Domino obviam eamus. Effectus quos illis precatur a Deo Ecclesia, sunt: primus, benedictio mentis et corporis in salutis remedium et gratiam obtinendam: secundus, ut quocumque importati fuerint, ibi habitatores omni adversitate fugata, dextera Dei protegantur: *Valent etiam contra fulmina, fulgura et tempestates, et contra quaslibet cavodemonis in perniciem humanam machinationes, inquit p. Gretserus, lib. II. de bened. cap. XLII.*

X. Renibus alligandum est zona seu cingulum. Legimus enim zonas a viris s. benedictas, quarum gestatione mulieres vel post sterilitatem fecundarentur, vel difficili partu laborantes liberarentur, cujusmodi beneficia obtenta fuisse non semel per zonas, quas benedixit S. Theodorus Sicaeorum archimandrita, scribit Gregorius presbyter, in ejus vita. Benedicuntur etiamnum et donantur a fratribus S. Francisci, cingula ab eodem sancto ad castitatem obtinendam, sive ad tetram libidinem, quae in renibus sedem figit, coercendam. Monet proinde eos, qui tali singule gaudent, observanda castitatis et devotionis ad Franciscum gerenda.

Pleraque haec ab antiquis temporibus per summos pontifices et receptas Ecclesiae consuetudines tradita habemus, ita ut primam eorum originem nequeamus designare; proinde juxta regulam illam S. Augustini: Id, cujus origo nescitur, neque plenariis Conciliis introductum est, non nisi ad apostolicam originem revocetur; jure possumus credere, ab apostolis inventa et Ecclesiae ad ornatum, solatium, praesidium provisa esse.

Quare, auditores, sacris his amuletis secure et

pie utamur; sponsi enim animarum nostrarum, Christi, donaria sunt, per ejus servos nobis oblata. Imprimis vero optandum, ut sint nobis, si non praesidia saltem monilia seu memorialia officii et status nostri, fideique Christo datae, ut ita sponso nostro arctissime et fidelissime adhaeremus, donec ad caelestes nuptias ab ipso evocemur, etc.

CONCIO XIV.

GLORIA ECCLESIAE CATHOLICAE.

I. Ecclesia signum magnum: 1. Velut miraculum. 2. Velut vexillum. 3. Velut scopus. — II. Apparuit in caelo. — III. Mulier dicitur. — IV. Amicta sole: 1. Tamquam indumento. 2. Tamquam munimento. 3. Tamquam ornamento. — V. Luna sub pedibus: 1. Propter ejus stabilitatem. 2. Propter ejus generositatem. 3. Propter ejus auctoritatem. — VI. In capite ejus corona stellarum duodecim.

THEMA.

Signum magnum apparuit in caelo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim. Apoc. XII.

Duo templa Jerosolymis, eodem in loco aedificata fuisse docent sacrae litterae; alterum a Salomone ante Babylonicam captivitatem; alterum a Zorobabele post eandem captivitatem. Tertium non aedificandum; et posterius priore nobilius fore praedixit Aggaeus, cap. II. dicens de secundo templo: Magna erit gloria domus istius novissimae plusquam primae. Ratio eodem capite datur; quia scilicet: *Venit desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.* Quod quidem factum, cum Christus in templo oblatus est, docuit et oravit, etc. S. August. lib. XVIII. de civit. cap. XLV. asserit: primum illud templum Salomonis scilicet significasse synagogam; secundum vero Zorobabelis. Ecclesiam; et illam ab hac longe superandam gloria. Quod sane non difficile ostendi potest. Et quidem S. Joannes, Apoc. XII. Ecclesiae gloriam secundum litteram depinxit, dicens: *Signum apparuit in caelo; mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, in capite ejus corona stellarum duodecim.* Quoniam igitur hodie solemnitatem celebramus non tam gloriam materialis hujus domus, quam Ecclesiae totius, merito de ejus gloria loquemur.

I. Ecclesia est signum magnum triplici acceptione, quam potissimum habet in sacris litteris, signum, scilicet pro miraculo, pro vexillo pro scopo. Primo, est miraculum, et magnum quidem